

B. C. D.

THESES  
OECONOMICÆ,

QUAS,  
*Suffragante Ampliſſ. Facult. Philoſ. in Reg. Acad.  
Aboënſi,*

PRÆSIDE  
**D<sup>N</sup>. PETRO KALM,**

Oecon. PROF. Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Holm.  
nec non Societ. Lit. Upſ. MEMBRO,

*Publicæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittit*

PRO GRADU,

STIPENDIARIUS REGIUS

**ESAIAS HOLLBERG**

*Aboëniſis,*

In Audit. Majori ad Diem V. Julii A:ni MDCCLXVI.

H. A. M. C.

---

A B O Æ,

Impreſſit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



## THESIS I.

**Q**ui agriculturam illiberalibus artibus annumerant, & gentem rusticam inter mancipia referunt; sane hi multum detrahunt laudibus, quibus & ipsa agricultura & ejus cultores sunt prosequendi.

### TH. II.

Quamvis vita urbana a multis commendetur, nec sine ratione; in haud paucis tamen vita rustica est præferenda vitæ urbanæ; sive utriusque utilitatem, sive jucunditatem respexeris.

### TH. III.

Hinc veteres Romani, non modo inferioris fortis, sed viri de Republica optime meriti cum a negotiis publicis vacarent, ad prædia sua extraurbana confugisse, ibique  
sibi

sibi & patriæ consuluisse, in eorum laudem variis in locis, in scriptis eruditorum legere licet.

TH. IV.

Felix cum sit illa Respublica, in qua studium Oeconomicum viget; Principi nil erit prius nihil antiquius, quam ut, quoad ejus fieri potest, nobile hoc studium promoveat.

TH. V.

Inter motiva, quibus hæc scientia mirum in modum promoveretur, nequaquam postremum sibi vindicat locum, si illi, qui ceteris antecellunt in provehenda Oeconomia, parciori, quam fieri amat, censu onerentur.

TH. VI.

Præterea etiam experimenta prudenter instituta multum ad incrementum & perfectionem Oeconomiae faciunt, experimenta vero sæpius requirunt majores, quam penes privatum sunt, sumtus; hinc non male sibi & civibus prospicere existimamus Principem, si manus auxiliatrices rei tam necessariae porrexerit.

TH. VII.

Si citra præjudicium disquiramus in caus-

fas potentiae, splendoris & divitiarum gentis  
 magnae Britanniae; videbimus certe haec quo-  
 ad maximam partem, ex sobria eorum Oe-  
 conomia, imprimis indefessa agrorum, pra-  
 torum rei que pecuariae cultura, redundare.

TH. VIII.

Horticultura, quae certe in Oeconomia  
 non ultimum tenet locum, multum incre-  
 menti caperet, si viri in summa dignitate  
 constituti, alique opulentiores inferioris for-  
 tis hominibus, exemplis suis praefucere, ipsi-  
 que manum operi huic honesto admovere  
 vellent.

TH. IX.

Quamdiu cives perversa ea opinione fe-  
 runtur, ac si essent res & divitiae, quas tel-  
 lus indigena progignit, minoris pretii, quam  
 extraneorum, tamdiu Oeconomia plus de-  
 crefeit quam accrescit.

TH. X.

Parum certe efficit in variis partibus  
 Oeconomiae, qui principia Chemica sibi mi-  
 nus familiaria reddidit.

TH. XI.

Fuere olim, & sunt forte hodie, qui  
 sum-

summopere urgent numerum civium ex constitutione climatis dependere tanquam ex causa unica. Et licet concedamus felicem omnino esse regionem, quæ climati subjacet reliquis longe salubriori, tantum tamen abest, ut sententiæ huic faveamus, quin potius, experientia loquente, numerum hunc adscribamus majori vel minori civium industriæ, peritiæ eorum in applicandis naturæ bonis, formæ regiminis in Republica vigenti: ut reliqua sicco pede transeamus.

TH. XII.

Nec desunt qui judicant, regionem, quæ minus convenienti subjacens climati non omnibus iis gaudet prærogativis, quibus alia aliqua regio, penitus non esse excolendam. Verum hi si didicerint, quod prius sit inquirendum in illud, utrum natura alia qua demumcunque ratione defectui huic mederi voluerit, an per industriam incolarum defectus vel averti vel præveniri potuerit; si hæc, sententiam omnino mutabunt.

TH. XIII.

Infertilitas terræ non certe in causa est,

cur patria nostra, quæ alioquin refertur inter maximos in Europa principatus, non numero tanto gaudeat civium, quanto par est, verum minus conveniens Oeconomia.

TH. XIV.

Potentia Reipublicæ licet sit metienda ex opulentia civium; nihilominus tamen Oeconomia publica privatæ est præferenda.

TH. XV.

Contendunt artes manuariæ de principatu cum agricultura, re autem justa lance pensitata, hanc illis palmam præripere existimamus.

TH. XVI.

Quamquam plantis magna a benignissimo Numine vis sit indita, eo tamen non est extendenda, ut cum Tertulliano & aliis antiquioris ævi rationem illis adtribuamus. Cujus sic verba jacent: *video enim & vitem adhuc teneram & impubrem, intelligentem tamen jam opera sua. Et paucis interjectis: Has ego sapientias arborum cur non contendam, vivant ut Philosophi volunt, sapiant ut Philosophi nolunt, intelligat & infantia ligni.* Lib. de anima p. 322.

TH. XVII.

TH. XVII.

Herbæ ne quidem minutissimæ per generationem æquivocam sed univocam generantur.

TH. XVIII.

Hinc facile comparabis illos, qui existimant Triticum ex Hordeo prodire, cum aliquo, qui statuere vellet, ursum ex fele, aut Psittacum ex corvo progenerari.

TH. XIX.

Dolendum certe, quod Botanica a paucis adeo excolatur, cum ejus utilitas tanta est, ut nihil supra possit esse.

TH. XX.

Merito ergo nobile hoc studium, utpote omnis Oeconomix Fundamentum, omnibus, inprimis tamen illis, qui olim verbi Divini ministri existere volunt, tantopere commendamus, ut, dum ad Academias studiorum gratia versantur, huic præsertim operam dent: alioquin enim & sibi & suis, ne dicam auditoribus minus bene consulunt.

TH. XXI.

Ex unico semine non nisi unica existit planta.

TH.

TH. XXII.

Propositio illa, quam tradunt plerique Mineralogorum; omnis humus est temporis filia, exceptionem omnino patitur.

TH. XXIII.

Neminem, nisi nimium auctoritati aliorum tribuerit, negare crediderimus, quosdam montes ante diluvium extitisse.

TH. XXIV.

Firmo omnino stat talo: lapides crescere; non tamen ex principio quodam seminario & circulatione humorum, ut voluit

*Tournefort.*

SOLI DEO GLORIA.

